Erfordiensi Gymnasio Illustrissimo

Friderici Wilhelmi III

Regis Borussiarum Gratia Et Munificentia Summa Instituto

Postquam

Per Decem Lustra Insigne Eruditionis Seminarium Fuit

Sollennia Semisecularia

Die II. Junii Anni MDCCCLXX

Faustis Ominibus Celebranti

Pia Recordatione Annorum Per Quos Praecipiendi Munere In Eo Functus Est

Gratulatur

Et

De Nomine Grossehainii

Paucula Proponit

Dr. J. S. Kroschel,

Arnstadiensis Gymnasii Director.

Arnstadiae Ex Officina Ohlenrothi MDCCCLXX.

Inter viros doctos, quorum laude Erfordia, inclita Thuringorum metropolis, et Arnstadia, urbs iam inde antiquitus optimis artibus florentissima, pariter ornantur, praecipue excellunt atque eminent Ludovicus Müller et Georgius Grossehain, quorum ille ab Arnstadia oriundus Erfordiae literarum Universitatis anno 1392 inauguratae et primus et undevicesimus Rector Magnificus fuit, hic ab Lycei Arnstadiensis regimine prosperrimo in eandem Academiam anno 1633, quum ex priscis Facultatis theologicae statutis ea, quae erant sacris emendatis aliena, derogata essent, vocatus et Confessionis Augustanae Professor publicus factus est. Qui duo viri quamquam in altissimum dignitatis gradum, ad quem doctrina ac literis perveniri potest, evecti sunt, tamen id quod iure mireris, utriusque cognomen parum recte posteritati traditum est. Alter enim non Müller, sed Mülner a plerisque scriptoribus nominatur eosque etiam W. Kampschulte secutus est, qui in libro, quem de Universitate Erfordiensi anno 1858 edidit, pag. 7. primum eius Rectorem fuisse scripsit Ludovicum Mülnerum Arnstadiensem. Quod quantopere a veritate historiaeque fide discrepet, ex iis intelligitur, quae J. C. Olearius in Historia Arnstadiensi (ed. Arnst. 1701) pag. 260. attulit. Vulgaris enim memoriae errorem ille quum aliis literarum monumentis, tum inscriptione nummi convicit, qui anno 1692, quum Universitatis sollennia secularia tertium instaurarentur, factus et signatus est. In extrema ora illius nummi haec scripta fuerunt: Inaug. An. M. CCC. XCII. Rectore Ludovico Müllero, Arnstadiensi. Huc accedit, quod idem illius aetatis more nomen suum latine interpretatus Molitorem se saepe appellavit. Quibus argumentis firmisississimis omnem huius rei dubitationem tolli quis est qui recte possit negare. Sed de cognomine eius viri, qui hinc Erfordiam vocatus ab anno 1633 usque ad annum 1637 Facultatis theologicae decus fuit ac lumen, nihil certi adhuc prolatum est. Appellatur ab aliis Grosshein vel Grossheim, ab aliis Grosshan, ab aliis Grosshun, vulgo Grosshain. Praenomen ei fuit Georgius, patria Duderstadt, urbs Eichsfeldensis, ubi anno 1601 natus est; mortuus est Wimariae die 5. mens. Septbr. 1638. De eius vita et meritis multi scripserunt, e quibus hic satis est memoravisse Motschmann, qui in Erfordia literata II. p. 27. 88—99. de eo egit, item J. Wolf in Eichsfeldia docta p. 127—135., et L. F. Hesse in Progr. Rudolst. 1834 p. 10. 11., sed hi omnes ea aut transcripserunt aut in patrium sermonem verterunt, quae anno 1723 Casp. Binder, Gymnasii Wimariensis Subconrector, exposuerat. Eum autem plurimae gravissimaeque res ad Magistrum ac Theologum illum clarissimum pertinentes fugerunt. Quae ille vir summa admiratione omnium, qui ingenii virtutes maximi faciunt, dignissimus in hac nostra urbe, priusquam Erfordiam domicilium transtulit, et didicerit et docuerit et instituerit, ea alias, si per Deum licebit, memorabimus, nunc quae de varia cognominis eius forma in scholae nostrae annalibus invenimus, in medium proferantur. Percommode enim accidit, ut non solum ipsum nomen multis locis scri-

ptum sit, verum etiam quod in hac re maximi momenti est, aequalium eius interpretatio nobis sit relicta. Ac scribitur in discipulorum Albo saepissime Grosshenius vel Grossheinius, raro Grossheimius. Ipse versibus graecis, quos de Esaiae cap. 53. v. 3. elegantissime composuit, subscripsit Georg. Grossheim Duderstad. Idque nomen paternum videtur fuisse; idem enim scriptum etiam et in tabellis ecclesiasticis reperitur et in commentariis, in quos Rectores scholae quaecunque memoria digna esse videbantur congesserunt. In his igitur Rector Georgius Meier Duderstadensis anno 1622 haec scripsit:

19. Julii Georg. Grossheim, Duderstadensis Saxo valedixit oratione de modestia.
Huic schola discipulum vix habitura parem.

Tanta cum laude e schola dimissus et Academicus factus primo Jenae, deinde Wittenbergae sacris literis et philosophiae operam navavit. Anno 1630 praeter spem et opinionem, ut ipse dicit, Wittenberga Arnstadiam profectus in locum Georgii Meieri scholae huius Rectoris tum octo diebus ante defuncti die III. Julii successit. Per triennium, quo huic scholae praefuit — ab d. 3. Julii 1630 ad d. 5. Junii 1633*) — ipse nomen suum scripsit Grossehain. Rectius profecto nobis videretur Grossenhain, ut Blankenhain et sim., nusquam vero hoc in his annalibus reperitur. Sed haec quoque nominis forma, quam ut dixi ab anno 1630 praetulit et retinuit, eodem redit, quo quas ante posui Grossheim, Grosshein, Grosshan, Grosshun: omnium enim pars altera repetenda est a vocabulo nostro Hagen. Et quum Hain ex his vocabulis, quae eiusdem sunt stirpis, novissimum sit neque ante seculum decimum quintum usu receptum, naturae, hoc est linguae legibus congruenter factum est, ut ex variis illius nominis formis Grossehain recentissima esset. Ea autem nominis gentilicii constantia, quae hodie more legibusque servatur, illa aetate, qua praenomen publice etiam plurimum valebat, non requisita est. Sed ut perspiciatur, ab aequalibus iam cognominis de quo agimus partem alteram ita esse acceptam, ut sepiendi notionem intelligerent, ex scholae nostrae Actis orationem, qua „ad orationem valedictoriam a Domino M. Georgio Grossehain 17. Junii 1633 Arnsteti habitam" responsum est, in lucem proferam, quum sperem eam utpote multis de causis memorabilem quum aliis viris doctis, tum Gymnasii Erfordiensis Collegis meis carissimis plurimumque honorandis oblectationem quandam esse allaturam. Continetur vol. 178. Oratt. Stechan. et Treiber. et ipsius Grossehainii manu scripta est; quis autem composuerit et habuerit, pro certo affirmari nequit. Veri autem est simillimum, auctorem eius esse Nicodemum Lappium, qui scholae tum fuit Ephorus idemque more, qui hic ad exitum fere proximi seculi valuit, in prima classe lectiones theologicas et hebraeas habuit. Oratio ipsa haec est:

---

*) Eo rectore discipuli ex classe I. discesserunt 31, per totum bellum tricennale ex hac schola in Academiam dimissi sunt 219. Numerus Primanorum variat inter 30 et 45; post bellum illud lugubre Rectore Stechanio, qui Grossehainium excepit, schola tanta discentium frequentia celebrata est, ut annis 1663 et 1664 in Albo primae classis 66 discipuli perscripti inveniantur.

Herodotus, dulcissima illa τῆς Ἰάδος μοῦσα, in Polyhymnia scribit Lacedaemonios ac Athenienses aliquando, missis in Siciliam legatis, petiise a Gelone Syracusano et societatem et suppetias contra Xerxem, Persarum et Medorum regem, quem Scriptura Sancta Achasverum vocat Esther. cap. I. v. 1., bellum eo tempore Graeciae inferentem; Gelonem autem jussisse, ut legati isti, postquam conditiones quasdam praescriptas repudiaverant, illico discederent atque Graecis renuntiarent, ipsos istiusmodi legacione ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ ἔαρ ἐξαίρειν, subindicans, exercitum suum esse praecipuum Graeciae florem et robur, qui si deesset, tunc toti regioni et regno defuturum, quod esset optimum. Erasmus Roterodamus, vir suo seculo praestanti et rara doctrina, ac singulari iudicio praeditus hoc Gelonis responsum inter Adagia refert illudque scholis applicat, putans, illum ex anno ver tollere, qui e scholis sustollat bonarum litterarum et artium cognitionem una cum praeceptoribus fideliter eandem inculcantibus. Quapropter reverende et clarissime Domine Magister, scholae nostrae hactenus Rector vigilantissime et nunc Professor Sacrocantae Theologiae in Academia Erphordiensi designate dignissime*), propterea inquam, quando iam amplissimus Senatus Reipublicae Erphordiensis te e scholae nostrae pulvere avocat et majorem ac augustiorem professoris publici spartam in facultate Theologica σὺν θεῷ σθενοφόρῳ in posterum ornandam tibi commendat, quid aliud dicamus, quam quod olim Gelo Syracusanus, ipsos nimirum apud nos ver ex anno tollere, ac flores fructusque scholae nostrae perdere? Et utinam Generosi nostri Comites, Domini nostri gratiosissimi, hanc senatus populique Erphordiensis postulationem, non secus ac olim Gelo Syracusanus Lacedaemoniorum, non reddidissent impetratam! Verum cum deo, messis Domino, ita visum, te alibi jam in messem suam extrudere, et a Generosis nostris Dominis Comitibus non ita pridem tibi dictum sit I Licet, nos hoc modo te abeuntem detinere nec possumus nec debemus; bona potius cum pace te dimittimus, ac quamvis coacte et invite, non tamen sine voto.

Belle autem nunc περὶ πόδα Praenomen ut et avitum tuum Cognomen in memoriam nobis revocat quaedam ex historia Abrahami Patriarchae, quae simul ex ea votum, quo te abeuntem prosequi possumus, suppeditare videntur. Abrahamus eo tempore quo in Palaestina fuit, agros coluit, et hinc a Vulgata Bibliorum versione colonus Genes. cap. 21. v. 34. appelatur, et dicitur habitasse in querceto Mamre Gen. 18. v. 1., quod a Theandro Luthero vertitur in Hain Mamre, quae belle nomenclaturae tuae**) conveniunt. Vidimus te per biennium, et quod excurrit, in querceto nostro Arnstadio-Schwartzburgico, in quo non

---

*) Scriptum est „dignissimè“, quo accentu Adverbiorum litera finalis semper notata est. Hic de universa huius orationis scriptura liceat addere, scriptionis compendia rara esse, i literam puncto saepe carere et supra u lit. semicirculum, quo in germanica scriptura utimur, nusquam non scriptum esse.

**) Colonum s. γεωργόν respondere vult eius praenomini Georg, et nostrum vocabulum Hain cognominis parti alteri.

tantum egisti in schola et templis nostris colonum καὶ οἰκονόμον sedulum et fidelem, verum etiam cum ἀρχισυναγώγῳ illo Corinthiaco Act. 18. v. 17. Σωσθένην, hoc est, in erudienda pube et plebe concredita, salvatorem fortem, imo cum illo regis Ptolemaei magistro, Aristobulum 2. Maccab. c. I. v. 10., hoc est, consultorem optimum. Sed quid dicam ulterius? Vixisti simul in querceto Mamre, ab amaritudine ita dicto et cum debuissemus tibi retribuere ἀντιθρεπτήρια καὶ δίδακτρα debita, saepius in hoc rerum nostrarum statu perturbatissimo et deploratissimo satiavimus te amaritudinibus et absynthio potavimus, ut ex Threnis Jeremiae ea quae cap. 3. v. 15. leguntur, huc adducere mihi liceat.

Abrahamus porro divitus vocabatur Beersebam Genes. 21. v. 31. Tu iam Erphordiam vocaris ad fontem illum sacri septenarii, hoc est, ad septem ut vulgo numerantur liberalium artium καὶ ἁπάσης τῆς ἐπὶ γῆς εὐδαιμονίας πυγήν, ut Academias clarissimus Dominus Rittershusius in praefatione notarum ad Salvium ex praeconio magni cuiusdam viri inter alia vocat. Hic ab ipso sapientiae fonte Deo precibus atque votis omnibus petimus, ut te prope hunc fontem iubeat esse γεωργόν et colonum probum et bonum ad multos annos, ita ut cum Abrahamo possis extruere אֵשֶׁל Genes. 31. v. 33. Petrus Galatinus et Paulus Weidnerus, viri rerum iudaicarum peritissimi, et hic quidem in Locis pag. 127., ille autem in cap. 8. lib. 2. de A. C. V.*) pag. 46. asseverant cum Rabbinis אֵשֶׁל fuisse pomarium vel hortum, in quo receperit Abrahamus hospites et Eleemosynas fecerit. Faxit deus, quo Prae- et Cognominis tui Etymo satisfiat, ut talis sis colonus, qui in ecclesia dei pomario extruat hortum, in quo illi, qui in spaciosissimo Philosophiae et Theologiae campo sunt hospites, possint suscipi, et largissima tua institutionis eleemosyna doctiores ac variarum rerum cognitione ditiores reddi; maxime autem, ut hoc in arboreto praedices cum Abrahamo nomen dei שְׁאֵל, qui Esaiae 9. v. 6. vocatur deus fortis, ut juxta Rabbinorum Cabalam levi unius literae transpositione ex אֵשֶׁל in שְׁאֵל faciam. In huius

*) Petri Galatini Opus de Arcanis Catholicae Veritatis una cum Joannis Reuchlini Phorcensis libris tribus de Arte Cabalistica editum est Basileae per Joan. Hervagium anno 1561 fol. Ibi pag. 46. haec habentur: Dixit Abraham, si isti (Melchisedek cum suis), qui feris et bestiis atque volatilibus eleemosynam fecerunt, mercedem receperunt, quanto magis si fecero eleemosynam filiis Adae qui sunt ad imaginem Dei sancti et benedicti, mercedem recipiam atque ab obviantibus liberabor, et statim in illa hora fecit eleemosynam: sicut scriptum est Genes. cap. 18. Et plantavit אֵשֶׁל Essel, id est pomarium vel hospitium, ad recipiendum hospites. — Plane eadem verba apud Paulum Weidnerum leguntur, qui ex Judaismo ad fidem Christi conversus, Philosophiae ac Medicinae Doctor, Sanctae linguae in Archigymnasio Viennensi Caesareo Professor, Loca praecipua fidei Christianae anno 1559 collegit et recognita multisque partibus aucta edidit Viennae Austriae an. 1562. Sed neque Galatinus neque Weidnerus Genes. cap. 21. v. 23. interpretationis illius, quam hic orator laudat, auctores fuerunt; hauserunt sua e Raymundi Martini Pugione fidei. Itaque Galatinus in exemplari eius Operis, quod hic mihi praesto est, olim ab homine quodam docto plagiarius pessimus Martini Raymundi appellatus est, quippe qui eius librum pugionem fidei dictum mala fide integrum descripsisset suoque sub nomine venditavisset.

enim cognitione consistit vita aeterna Joh. 17. v. 3., et cognoscere huius dilectionem omni cognitioni praeeminentem, id est impleri in omnem plenitudinem dei, ut Paulus Eph. 3. v. 20. loquitur

Tandem etiam rogamus, ne si deveneris in splendidissimum illud Academiae coelum *), nos in hac terra Schwartzburgica degentes vel negligere aut nostri unquam oblivisci velis, ne cogamur ingemiscere cum Israelitis ex Esa. c. 64. v. 16. Abraham nescivit nos et Israel ignorat nos. Sed persuademus nobis firmiter, deum φιλόψυχον καὶ εὔσπλαγχνον exundaturum vota nostra corde calido et pio effusa, ac te amicitiae hic contractae et semper inter nos sine offensa et querela habitae et cultae etiam porro memorem fore.

Dominus interim protegat te et sit protectio tua ad manum dexteram tuam. Ne per diem sol te urat neque luna per noctem. Dominus custodiat te ab omni malo, dominus custodiat animam tuam. Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum ex hoc nunc, et usque in seculum.

ἔλθῃ μου ἡ αἴτησις καὶ τὴν ἐλπίδα μου δώῃ ὁ κύριος. Hiob. 6. v. 8.

Dixi.

---

*) His verbis tecte significatur Auditorium Coelicum, in quo lectiones theologicae illis temporibus habebantur; vid. Motschmann Erfordia literata II. 27. In eo Auditorio, quod in aedificio prope Aedem S. Mariae fuit, usque ad huius seculi initium sollennitates quae dicuntur Academicae actae sunt. Nomen inde duxit, quia tectum multis stellis ornatum quodam modo coeli faciem retulit.